# DE TRIPHYLLO. CAP. CCCXIIII.

## NOMINA.

*Trifolium odoratum cur dictum.*

ΤΡΙΦΥΛΛΟΝ Græcis, Trifolium odoratũ Latinis, officinis ſimpliciter Trifoliũ dicitur. Germanis Sibengezeit/propterea quod ſingulis diebus ſepties odorẽ ſuum habeat, & toties etiam amittat, quandiu in horto creuerit. Decerptum enim & exiccatum, odorem ſuum perpetuò retinet. Qui certè pluuioſa temporis conſtitutione ac tempeſtate inſtante multò uehementior eſt, ſic ſanè ut totas ædes, in quibus hæc herba repoſita eſt, odore ſuo compleat. Poteſt etiam appellari cõmodiſsimè wolriechender Klee.

## FORMA.

Frutex eſt cubito altior, uirgas habens tenues, nigris, iunceisq; adnaſcentijs multis prædítas, in quibus folia Loto arbori ſimilia ſunt, terna in ſingulis germinationibus. His recens enatis odor Rutę ineſt, auctis uerò iam, bituminis. Florem emittit purpureum, ſemen modicè latum & ſubhirſutũ, ex altero extremo apicem obtinens. Radix illi tenuis, longa, ualida. Ex qua quidem deliniatione ſatis conſtat herbam, cuius picturam damus, eſſe Trifolium odoratum: ſiquidem cubito altior eſt, caules tenues obtinens, unde ramuſculi multi nigricantes quodammodo, aciuncei oriuntur, qui ſinguli terna folia producunt odorata. Flores etiam habet in purpureo cœruleos. Semen quoq; Milio haud diſsimile in folliculis modicè latis, piloſis, & in ſummitate aculeum habentibus, profert. Radicem deniq; longam, candidam ac ualidam habet, ut prorſus nihil ſit quod deſcriptioni non reſpondeat.

## LOCVS.

Sponte ſua in Germania non prouenit. Satum uerò nulla difficultate prodit.

## TEMPVS.

D Iulio menſe floret, ac ſubinde ſemen producit.

## TEMPERAMENTVM.

Calidum eſt & ſiccum in tertio ordine.

## VIRES. EX DIOSCORIDE.

Semen & folia in aqua pota lateris dolore laborantibus, difficultati urinæ, comitialibus, incipienti aquæ inter cutem, uuluæq; ſtrangulationibus auxiliantur. Menſes etiam ducunt. Oportet autem ſeminis tres, foliorũ uerò quatuor drachmas dare. Succurrunt & uenenatorũ morſibus folia trita cum oxymelite & pota. Referũt quidam, ſi totius fruticis, radicis & foliorũ decocto foueantur facti ex ſerpentiũ morſibus dolores, eos mitigari. Si uerò alius ulcus habens eodem illo decocto quo quiſpiam ſanatus fuerit foueatur, eadem ſentit quæ morſi à ſerpentibus. Dant quidam etiã in tertianis bibenda folia eius tria, aut totidẽ ſemina cum uino, in quartanis autẽ quatuor, ueluti quæ circuitus ſoluere poſſunt. Miſceẽ uerò eius radix & antidotis.

## EX GALENO.

Triphyllum potum laterum dolores ab obſtructione natos iuuat, urinã & menſes prouocat.

## EX PLINIO.

Trifolium ſcio credi præualere contra ſerpentiũ ictus & ſcorpionũ, ex uino aut poſca, ſeminis granis uiginti potis, uel folijs, & tota herba decocta, ſerpentesq; nunquam in Trifolio aſpici. Præterea celebratis autoribus cõtra omnia uenena pro antidoto ſufficere uigintiquinque grana eius.

## APPENDIX.

Debet eius Trifolij odorati uſus eſſe ſubinde in omnibus officinis, quod mirificè uenenis aduerſetur, & ad ulcera malefica ſananda perquam utile ſit.

DE TRIFOLIO



TRIFOLIVM PRATENSE PVRPVREVM.